

1. Num Joseph decrevit, fruct. H.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18-23.
De Edas p^{ri}o 1 Joh 11, 2.
3. De amictu baptista. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De veta baptista Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curator Sup monte Mt. 5, 14.
6. De bedros p^{ri}o cura Eleemosynar. Mt. 6, 2
7. Proterum Anus. Vanitas. Mt. XV, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De curia Petri & Karp. Mt. 16, 13-19. Incur.
10. Tu es filius dei. Mt. 16, 16.
11. De claris verbis. Mt. 16, 19.
12. De veritate clar. solv. & lig. Mt. 16, 19
13. De didrachmis & x^o solutus Mt. 17, 24 &
14. Super de operibus uⁿⁱna. Mt. 20, 1-16
15. Vul. Si congregaverint volentes Mt. 23, 37.
16. Chichitubus. De haecomo Epti Mt. 24, 14.
17. De ot dago x^o. Mt. 24, 28
18. Uter sanguinis Mt. 27, 3-11.
19. Tumba servatoris. Mt. 27, 60
20. De curia Judaeorum. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curia mortuorum p^{ri}o clar. Sancti. Mr. 6, 13. Luc. V, 14 &
22. De incarnatione Mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria x^o preservata.
24. De nomine Jesu. Luc. 2, 21
25. De curia abpt. p^{ri}o clar. Luc. 7, 47, 48
26. $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\theta$ Luc. 8, 13.
27. Si curia Sabatistica Luc. XV.
28. De Mamona mypitha Luc. XVI, 9
29. De curia. Luc. 16, 9
..... Luc. 16, 9.
30. De lacrimis x^o. Luc. XIX, 41.
31. $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\theta$ Luc. 22, 38

00
R

33
34.
35.
36.
37.
38
39
40
4.
4.
4.
4.
4.
4.
4.
4.
5
5
5
5
5
5
6
6
6



DISPUTATIO THEOLOGICA

Qua

VERBA APOSTOLORUM ad CHRISTUM

DOMINE, ECCE

DUO GLADII HIC,

ET CHRISTI RESPONSUM

SUFFICIT.

Lucæ Cap. XXII. v. 38.

Explicantur & vindicantur

Contra Pontificios

TEMPORALEM PAPÆ POTESTATEM

Ex iisdem asserentes.

Et quam

DEO AUXILIANTE,

Autoritate & Consensu

Magnifici Domini Rectoris & Amplissimi Senatus,

IN ACADEMIA PATRIA,

PRO LOCO

PROFESSIONIS ORDINARIÆ QUARTÆ

IN FACULTATE THEOLOGICA,

Solenni ventilationi subicit

BERNHARDUS von SANDEN, Jun.

D. & P.P.

RESPONDENTE

M. JOHANNE ERNESTO SEGERS,

IN AUDITORIO MAJORI.

Anno MDCXCIX d. 25. Junii, Horis ante & pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

AUGUSTISSIMO,
SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
TERTIO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
SAC. ROM. IMP. ARCHI-CAMERARIO,
ET PRINCIPI ELECTORI,
SUPREMO IN PRUSSIA, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VAN-
DALORUM, ITEM IN SILESIA ET CROSNÆ
DUCI,
BURGGRABIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI,
COMITI IN HOHENZOLLERN, MARCÆ,
ET RAVENSBERGÆ;
DOMINO IN RAVENSTEIN, ET TERRARUM
LAUENBURG ET BÜTOV, &c. &c. &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo,

Hanc Dissertationem

In gratissimi animi & humillimæ subjectionis
signum, cum submissa & devota, omnis
augustæ felicitatis & exoptatæ salutis ap-
precatione D. D. D.

BERNHARDUS von SANDEN, Jun.
S. Theol. D. & P. P.

οἱ δὲ συμπροσέξατο!

LUCÆ Cap. XXII. v. 38.

οἱ δὲ εἶπον· κύριε, ἰδοὺ μάχαιρα ὧδε δύο!

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἰκανόν ἐστι.

§. I.

Sequuntur hæc Verba apud Lucam non multò post illa, quibus Salvator Petro & reliquis Apostolis cribrationem, ad quam eos expetierat Satanas, prædixerat, eosque promissione Intercessionis suæ pro fide illorum, ne in tentatione illâ deficeret, præmuniverat v. 31. & 32. quæ ultima Disputatione explicata & contra Pontificios, qui Infallibilitatem, vel non errandi in fide privilegium, hisce verbis Petro ejusque Successoribus à Christo tribui contendunt, vindicata sunt. Nimirum postquam Salvator de interioribus tentationibus, quæ à Satana metuendæ erant, Apostolos monuerat, pergît prædicere mala sibi & ipsis exterius ab hostibus imminetia, & adversus ea volebat illos pariter esse munitos. Quò verò gravitatem periculi hujus sibi impendentis eò magis intelligerent Discipuli, in memoriam iisdem revocat statum & conditionem præteriti temporis, atque cum illò futuri & jam instantis temporis fortunam confert. *Quando misi vos, quærit v. 35. sine sacco & pera & calceamentis, nunquid defuit vobis?* Respicit Dominus ad primam Apostolorum missionem ad prædicandum, quæ Matth. X. 5. Marc. VI. 7. Luc. IX. 2. describitur, in quâ præcepit eis, ne vel βαλάντιον (vel ut alii Codices habent βαλλάντιον) *sacculum*, ita dictum ἀπὸ τῆς βάλλειν, quia pecuniæ & nummi ei immittuntur, (Matth. & Marc. *zonam* vocant, quæ erat cingulum militum in quibus nummos ferebant) vel πηγεὺν περανῶν, s. reconditorium cibi, quod plerumque hæc vox notat, ut

A

I. Sam.

I. Sam. XVII. 40. Judith. X, 6. XIII. 10. vel denique *ἰσθηματα*,
calceamenta, (quæ differre creduntur à sandaliis apud Marcum
Apostolis permissis, ita ut illa totos contegerent & munirent
Viatorum pedes, hæc verò plantam saltem pedis operirent
& domi induerentur,) *in viam secum tollerent*. Præterea inter-
dictio duarum tunicarum & virgæ in locis citatis habetur, &
licet hic Marcus virgam concedi dicat, vulgò tamen dicitur,
eum loqui de virga, quæ Viatoribus adjumento est, cum Mat-
thæus & Lucas baculum, quò defendimus nos atque pugna-
mus, intendant. Eadem quoque instructio Septuaginta disci-
pulis ad prædicandum emissis data legitur Luc. X. 4. & addi-
tur præter dicta aliud adhuc observandum in via, videlicet
ut neminem salutarent: Quæ est hyperbole Hebræorum, quâ
utuntur, cum aliquid celeriter & nullâ interjectâ morâ peragi
præcipiunt, ut II. Reg. IV. 29. Intentio autem Domini fuit
Apostolos revocare hõc mandatò ab omnibus *πρωτοκρίτους*
τῆς βίης, *curis hujus seculi*, quibus A. prædicatores Verbi vacuos
esse vult II. Tim. II, 4. ut in omnibus à divina providentia
penderent, totique vacarent delegatæ functioni. Sic enim
Chrysostomus tria imprimis commoda hoc præceptum
complecti dicit: *Primum, ut nulla de discipulis possit esse suspicio*
(sc. affectatorum opum aut splendoris mundani) *Deinde*
ab omni seculari cura sic ipsos liberos reddit, ut prædicationi solum
vacare possint: *Adhæc immensam suam potentiam ipsis patefecit,*
quod & postea commemoravit dicens: Nunquid vobis &c. Ho-
mil. XXXIII. in Matth. Tom. I. Oper. Edit. Novæ Francofurt.
p. 384. Præceptum enim hoc tantum pertinere ad hanc Apo-
stolorum profectiõnem, quam festinanter expedire debebant
annunciando Adventum Messia, vel inde patet, quia in Hi-
storia Evangelica tum alibi, tum etiam Marc. VIII. 5. legimus
Apostolos utique panem secum portasse, Christum quoque
in

3
in suo comiteatu habuisse loculos & pecuniam ex Joh. XII. 6.
XIII. 29. constat; quod certè non permisisset Dominus, siquidè
præceptum hoc perpetuò suos Discipulos stringere voluis-
set. Proinde à Scopo, quem hic intendit Dominus, aberravit
Franciscus, cum hinc institutionem Ordinis sui desumpsit, de
quâ Vid. Corn. à Lapide in Matth. X. p. 225. Neque rectè Ejus-
dem mentem intelligunt Anabaptistæ, qui inde colligunt mi-
nistros Ecclesiæ nihil proprii habere, neque salaria sumere
debere. Vid. Mülleri Anabaptismus c. 18. Non nisi specimen
ergò divinæ ac paternæ suæ Providentiæ Discipulis suis in
prima hac missione, quâ iis sine cibo, vestibus, nummis &
armis missis nihil quicquam eorum, quæ ad vitæ sustenta-
tionem & defensionem necessaria erant, defuit, exhibere vo-
luit Dominus, quò postea eò animosiori & confidentiori ani-
mo adversitatibus, periculis & morti, quæ in prædicatione
Evangelii postea subituri erant, obviarent: Atque hoc ipsum
jam, cum tempus hoc instaret, in memoriam eisdem revo-
care congruum erat. Quare ex Discipulis quærit Dominus:
*Quando misi vos sine sacco & calceamentis, nunquid defuit Vo-
bis?* Non dicit asserendo, nihil hætenus vobis defuit, sed in-
terrogando; Nunquid defuit Vobis? ut propriam ex ipsorum
ore eliciat confessionem, & assertio proprio eorum testimo-
nio confirmata illustrior fiat. At illi dixerunt; *οὐδένος. Ni-
hil omnino*, sc. nobis defuit. Quamvis enim nulla re ad iter
faciendum commoda, imò necessaria instructi essent, tamen
nihil ipsis defuit, quia quicquid ad Vitæ sustentationem ne-
cessarium erat, suppeditabatur ipsis ab iis quibus Evangelium
Regni prædicabant. Luc. X. 7. 8. Commendant hic Com-
mentatores *ἀντιπροξενῶν* Discipulorum Christi. *Tam parvo erant
contenti boni Apostoli, ut etsi mensas Sybariticas aut Pontificias
cænas non habuerint, neque cum epulone induti purpura & bysso,*

4
epulati fuerint splendide, imò aliquando sub mediam lucem non haberent, quod ederent, ut refert Johannes Cap. IV. & interdum præ fame vellerent spicas, quibus latrantem lenirent stomachum (Matth. XII.), audent tamen dicere nihil sibi defuisse. Parvo enim erant affveti, & naturam paucis esse contentam non ignorabant, scribit ad h.l. Salmero Tom. IX. Comm. in Evang. Traçt. XLVII. p. 381.

§. II. Postquam ergò dixerant Apostoli, nihil sibi hactenus defuisse etiam sine sacculo & pera & calceamentis ablegatis; Christus aliam rerum faciem modò futuram esse indicaturus v. 36. inquit: *Sed nunc, qui habet sacculum tollat, similiter & peram: Et qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium.* Ambiguitatem hic parit verbum *ἀγειν* tollere, quod duplicem habet significatiorem, ex quâ etiam duplex hujus commatis oritur interpretatio. Primò enim significat *in humeros suscipere vel secum ferre*, ut Matth. IX. 6. XI. 29. XIV. 12. XVI. 24. XXIV. 18. Deinde etiam significat *è medio tollere & auferre*, ut Matth. XIII. 12. XXII. 13. XXV. 28. &c. sicut & latinum *tollere* eadem laborat homonymiâ. Quidam ergo verbum *ἀγειν* tollat in priore significatione accipiunt, ut sit sensus: Nunc qui habet sacculum tollat h. e. sumat eum ad manus, similiter etiam, qui habet peram, ut & sacculo & pera, h. e. pecunia & cibus viatici loco sit instructus, & hisce addat gladium, quò paratam habeat sui defensionem. Sed rectius alii exponunt, qui in altera significatione verbum hoc accipientes, hunc loci hujus suppeditant sensum: Nunc qui habet sacculum tollat h. e. abiciat eum à se, similiter & peram relinquat, non enim opus jam est ulla re nisi gladio tantum; Vel, tollat sacculum itemque peram, ut utrumque vendat, quò eorum pretio ematur gladius, & si nihil horum adsit, vel tunicam vendat & emat gladium; **Q. D.** Tantam futuram necessitatem

5
sitate, ut non solum sacculi & peræ, sed etiam, si nihil eorum præsto sit, ipsius tunicæ iacturâ gladius comparandus sit. Sic enim sententia Domini integra melius cohæret, & sic videntur intellexisse Verba Domini Apostoli, qui mox non sacculum aut peram, sed duos gladios Domino ostendunt, quamvis in eo errarent, quod figuratè & parabolicè dicta propriè acciperent. Perinde verò hic fuerit, sive post verba *μὴ ἔχων non habens*, subaudias *gladium*, per trajectionem in SS. frequentem, cum Syro, Arabe & aliis, sive *sacculum & peram*, quorum in primo commatis membro facta fuerat mentio: Quanquam, ut observat L. de Dieu, *ὁ μὴ ἔχων* idem notare possit, quod *ὁ ἔδεν ἔχων qui nihil habet*, ut I. Cor. XI. 22. & sicut Hebræi loquuntur *לֹא אֵין לוֹ אִשֶׁר* cui non est i. e. cui nihil est, subintellecto sc. *קִבְרָה* quicquam q. d. cui tantum pecuniæ non suppetit, ut gladium emere queat. Pro diversitate itaque Verborum horum sensu, & diversa existit Interpretū de intentione & sensu Domini, quem hic propositum habet, sententia. Secundum priorem versus hujus constructionem & acceptionem verbi *tollat*, quidam volunt Dominum sententiâ hâc suis nunc permittere loculorum & peræ & gladii usum, prius illis interdictum. Est hæc sententia Nic. de Lyra in expositione literali hujus loci in Bibl. Gloss. Tom. V. fol. 177. Eidem præit Augustinus, qui lib. XXII. contra Faustum Manichæum, qui dixerat duo testamenta V. & N. sibi esse contraria, cap. LXXVII. Tom. VI. Oper. Edit. Basil. 1569. p. 434. docet, DEum quædam olim in Veteri Lege præcepisse, quæ in N. T. mutavit, sicut in Novo quædam instituit, quæ in fine Vitæ sustulit, ut præceptum de sacculo, pera & gladiis non gestandis. *Jamne intelligunt, inquit, quemadmodum nulla inconstantia præcipientis, sed ratione dispensationis, pro temporum diversitate præcepta vel consilia vel permissa mutantur. Nam si*

6.
dicunt certi mysterii gratia hoc, de tollendo sacculo & pera locu-
tum fuisse, cur non admittunt certi mysterii gratia, eundem
unum DEUM tunc Prophetas gerere bella jussisse, nunc Apostolos
prohibuisse. Nec non Chrysostomus Homil. 2. in verba P.
Rom. XVI. Salutate Priscillam & Aquilam, quæ est XVIII.
Tom. V. Oper. Edit. Francof. p. 230. respondens illis, qui legē Do-
mini Matth. X. & Luc. IX. etiam ad alios fideles extendunt:
Christus inquit, neque Apostolos semper hujus Legis necessitate ob-
stringi voluit, sed eos absolvit ab hac lege, cum jam ad salutarem
crucem iturus esset. Atque hoc ipsum, dicit, Dominum ad-
m. dum dignè pro sua sapientia curaque, quam pro Discipu-
lis gerebat, fecisse. Ab initio enim Vocationis, inquit, hoc fa-
ciebat, ut Discipuli periculum Virtutis suæ facerent, & posthac in
orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati magis, confidentio-
res essent. Verum ubi jam potentiam suam agnoscere cœperunt,
voluit ut & ipsi domi virtutis specimen præberent, permisitque
ipsumet, suas ferre tentationes, ne sc. perpetuò otiosi residerent
& ad finem usque in omnibus quasi pueri portarentur. Quod
ipsum ibidem fusius diducit, variis similibus egregiè illu-
strat, & tandem subjicit: Noluit priorem legem tam arctam
manere, sed ejus severitatem nonnihil relaxavit, ut ita non esset
eis gravis & intolerabilis vita, si ubique derelinquerentur, & si-
mul duram hanc legem servare cogentur. Verùm hanc expo-
sitione admittâ, non parva exurgit difficultas, quomodo
Salvator in posteriori sententia eis permittat usum gladii.
Nam quod Lyra dicit, Dominum eâ voluisse significare lici-
tam esse Apostolis defensionem moderatam tempore persecutionis;
Salmero v. Comm. in h. l. Dominũ, ait, defensionem à jure naturæ
præscriptam non tantum permisisse sed & suavisse, planè non
videtur congruere Doctrinæ Christi Matth. V. v. 39. 44. nec
mandato de gladio in vaginam recondendo, paulò post
cum

7

cum severâ comminatione Petro dato, Matth. XXVI. 52.
Quarè Origenes Comm. in Matth. XIX. de Eunuchis: Si-
quis, inquit, hujus loci sensum non penetrans, vestem suam sensi-
lem vendiderit & homicidam gladium emerit, propterea quod
hæc à Jesu dicta sint, peribit ille, quod ejusmodi gladium sumpse-
rit, & præter voluntatem Jesu, male intellecto ejus sermone, ege-
rit; fortasse verò & gladio peribit. p. 368. Part. I. Oper. Edit. Pa-
ris. A. 1668. Quin ipse Augustinus, verbis modo citatis, sub-
dit: Hinc Petrus armatus inventus est, cum aurem persecutoris
abscidit, ubi spontanea ejuscoercetur audacia, quia non ut jussus
fuerat ferrum tollere, ita jussus fuerat & ferire. Latebat certè
Domini voluntas, cur arma portare præcepisset, quibus eos uti
noluisset. Veruntamen ad illum cum ratione præcipere, ad
istos autem sine retractatione præcepta facere pertinebat. Chry-
sostomus autem l. c. sensum illum, de gladio corporali assu-
mendo, planè deridet. Quidnam hoc? inquit, Armatus ne di-
scipulos? qui dicit, si quis te percusserit &c. (Matth. V. 39.) nunc ar-
mat, armatusque uno tantum gladio? Et quomodo hæc rationi consona
sunt? Nam si omninò armis opus erat, non solum gladiò, sed &
scutò & galeâ & cruralibus armare oportebat. Et profectò, si
humano more dispensare & agere hoc voluisset, profectò ridicu-
lum erat hoc præceptum, quandoquidem licet sexcenta id genus ar-
ma possedisset, adversus insidias & impetus populorum & tyrannorum,
civitatum, gentium, quomodo potentiores habiti fuissent
undecim? Non potuissent præ timore spectare exercitum, & au-
dire vocem hinnientium equorum, viri non nisi in stagnis &
lembis versati. Non multum tamen abit ab hac Explicati-
one, illorum expositio, qui volunt Dominum Discipulos suos,
quos ante à consuetis suis laboribus & artificiis, quibus sibi
victum comparabant, avocaverat, & hætenus tanquam
Operarios suos nutriverat, instante passione suâ & cessante
ad

8
ad tempus prædicatione, ad pristinum vitæ genus, verbis
hiscæ redire iussisse, q. d. Itaque *jam civili more & jure vi-
vite, quia jam non est tempus Evangelico negotio incumbere, &
quia licitum est Patrifamilias seipsum & rem domesticam & civi-
patriam suam defendere, usum gladii, vobis antea interdictum,
concedo.* Sic Didacus Stella Enarrat. in h. l. p. 475. Tom. po-
ster. Similẽ expositionẽ Salmero Tr. XLVII. Tom. IX. Comm.
in Evang. p. 475. Joh. Hofmeistero tribuit. Verùm & hæc satis
incommoda & intentioni Salvatoris prorsus adversa sunt.
Unde n. constat Apostolos eò tempore gladios sibi compa-
rasse ad defensionem sui aut Domus aut patriæ? Potius vi-
dentur, territi mox voce Domini, *quicumque gladium sumpse-
rit, gladio peribit,* omninò sese abdicasse iisdem. Quod verò
legantur ad piscaturam redisse Joh. XXI. non fiebat hoc ex
necessitate & defectu alimenti, cujus cura & præsentè
Domino tenebantur Joh. IV. 8. sicut & Paulus postea
ex opere manuum suarum quandoque se vixisse testatur I.
Cor. IX. 7. & sequ. Confer. Act. XVIII. 3. Tolerabilior videri
posset Bedæ expositio, qui lib. VI. Comm. in Evang. p. 481.
Tom. V. Oper. Edit. Basil. postquam aliqua, de discretionè,
alia servanda tempore pacis, alia persecutionis tempore, dixit-
set, inquit *Dominum suis præcepisse, gladium vel habitum sume-
re vel non habitum emere, ut sciant legentes, non facultatem re-
sistendi deesse discipulis, sed magistro potius amorem inesse patien-
di.* Videtur Beda ista sumpsisse ex Ambrosio, qui lib. X.
Comm. in Lucam Tom. III. Oper. Ed. Paris. A. 1642. locum
hunc tractans, & variò eum modò versans, hæc habet: *O Do-
mine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur
haberi præcipis, quem vetas promi? Nisi forte; ut sit parata de-
fensio, non ultio necessaria, sed videar potuisse vindicari, sed no-
luisse.* Nihilominus nec hæc expositio probari potest; Nam
non

non videtur causa sufficiens, propter quam Christus iusserit
Apostolos gladios emere, hæc, ut ostenderet paratam sibi
esse adversus hostes defensionem, hoc enim aliò postea,
& longè quidem firmiori documentò ostendit, cum unicò
verbò, *Ego sum*, hostes prosternit Joh. XVIII. 6. atque duode-
cim Legiones Angelorum apud Patrem defensionem suam præ-
stitò esse dicit Matth. XXVI. 53.

§. III. Illi verò Commentatores, qui posteriorem ver-
bi *tollat* sensum sequuntur, potissimum de gladio spirituali,
qui venditione sacculi, peræ & tunicæ emendus sit, verba
hæc Domini intelligunt. *Fortasse spiritualis hic intelligendus
est gladius, non verò sensibilis, nisi enim ipse prius non voluisset,
captus minimè fuisset*, inquit Titus Bostorum Episcopus Do-
ctor Sec. IV. clarus, in Catena Græcorum PP. Nicetæ in Lu-
cam Tom. I. p. 562. (Exstat quoque hic Commentarius in Bibl.
PP. Tom. XIII. p. 762. verba tamen modò adducta ibidem
non inveniuntur.) Ambrosius itaque priorem sensum §. præ-
ced. indicatum deserens, mox alium suppeditat; Scilicet,
posse hæc Verba Domini de gladio Verbi Dei accipi dicit;
simul tamen & alium insinuat sensum de gladio martyrii.
*Est, inquit, gladius spiritualis ut vendas patrimonium, emas ver-
bum, quò nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius
passionis, ut exuas corpus & immolata carnis exuviis ematur tibi
corona sacri martyrii.* De hoc posteriore gladio, verba hæc
accipienda esse, probat Ambrosius ex sequentibus Christi ver-
bis, hoc modo: *Denique ut scias quia de passione locutus est,
ne turbaret Discipulorum animos, de se exemplum protulit, dicens;
Quoniam hoc quod scriptum est, oportet impleri de me; Quod &
cum iniquis deputatus est.* De gladio tamen Verbi Divini
potius hoc dictum accipiendum esse aliâ, ratione colligit, sub-
jiciens: *Movet tamen adhuc, quod duos gladios discipuli protule-*

B

riat,



rint, nè fortè unum Novi, alterum V. T. intelligamus, quibus adversus Diaboli armamur insidias: Denique dicit Dominus, sat est, quasi nihil desit ei, quem utriusq; Testamenti doctrina muniverit. Hæc Ambrosius inquirendo potius, quam certi aliquid asserendo. Allegoria hæc, de gladio Verbi Divini, in hisce Verbis placet quoque Ruperto, qui eam latius diducit in cap. XVIII. Joh. Tom. II. Oper. Edit. Paris. A. 1638. p. 428. Eandem quoque sequuntur illi, qui putant mysticè hic prædici conversionem gentium, ad quas cum gladio Evangelii paulo post Apostoli ablegandi erant; referentes quoque huc Oraculum Petro datum Act. X. 13. *Surge occide & manduca.* Ita enim quosdam hunc locum exponere, testantur Gerhardus in Harmon. cap. CLXXV. p. 1225. Salmero Tom. IX. Tract. XLVII. p. 381. Interim, quamvis non absurdum videatur, Christum his verbis simul tacitè admonuisse Discipulos de præparatione armorum spiritualis adversus periculum proximè imminens, tamen non veresimile est, Christum id, quod postea in horto, ad vigilantiam & orationem eosdem adhortans, & ante Ascensionem, prædicationem Evangelii iisdem demandans Matth. & Marci ult. expressis verbis facit, figuratis hisce verbis innuere voluisse. Adhæc, traditus hic gladius verbi jam in prima Apostolorum missione ipsis fuerat à Christo, præcipiente: *Euntes prædicate, quia appropinquavit Regnum Cælorum.* Matth. X. 7. De aliò ergò hic gladiò est sermo. Magis fortè locum hic habere posset expositio de gladio passionis vel martyrii, quæ à sensu Dicti hujus, quem mox firmabimus, non multum recedit, modò appareret ratio, secundum quam gladius ille dicatur emi posse. Pari imò majori difficultate laborant aliæ mysticæ loci hujus Interpretationes, quæ apud alios inveniuntur. Sunt enim inter Veteres, qui Verba Salvatoris non nisi ad mores Christiano-

stiano-

stianorum formandos referunt, atque his mysticè aliquid hic significari volunt. Sic Maximus Monachus Constantinop. Doctor & Confessor Sec. VII. eximius, in Capit. CC. ex Theolog. & Oeconom. n. 78. Tom. I. Oper. Edit. Combes. A. 1675. p. 477. verba hæc ita explicat: *Qui habet sacculum, h. e. scientia pollet spirituali, tollat similiter & peram, h. e. uberes virtutum fructus copiosè largèq; nutriente animam. Qui autem non habet sacculum sc. & peram, i. e. scientiam ac virtutem, vendat vestimentum suum & emat gladium; Alacriter, inquit, promptusque carnem suam Virtutum laboribus dedat, bellumq; pro Dei pace adversus affectus s. vitia daemonesq; sapienter suscipiat, i. e. habitum ejusmodi, qui in Verbo Dei, id quod deterius est, à potiori, nempe vitium à virtute secernat.* Inter Apophthegmata PP. quæ exstant inter Monumenta Ecclesiæ Græcæ edita à Joh. Baptista Cotelerio Paris. A. 1677. Tom. I. p. 620. Apophth. CXII. referatur dictum Abatis Poemenis, quod sententiam hanc Evangelii, *Qui habet tunicam vendat eam & emat gladium, h. m. interpretatur; Qui habet requiem dimittat eam viamq; angustam teneat.* In iisdem Monumentis Tom. II. in libro Joh. Moschi Eucrata (al. Evirata), qui inscribitur Pratum spirituale p. 368. num. 12. memoratur, senem Abbatem Cosmam hoc dubium torfisse, quid sibi velit sententia hæc Domini; Qui habet tunicam &c. & quod obtulerint Discipuli duos gladios: Suscepisse ergò iter licet maximò cum periculò, quod in via experiebatur à Dracone multò maximò, ad Abbatem Theophilum, & ab eòdem hoc responsum tulisse: *Hanc esse duorum gladiatorum interpretationem, actionem & contemplationem, si quis ergo has duas virtutes habeat, perfectum esse.* Piæ & utiles sunt hæc admonitiones, quas ex dictò hòc Salvatoris eliciunt, scopò tamè & intentioni Salvatoris non satisfaciunt. Basiliius ergò, vel quicumque Autor est Quæst. compendiò explicatarum, quæ exstant inter

Opera Basilii Tom. II. Edit. Paris. A. 1638. p. 716. Interrog. CCLI. aliâ adhuc ratione rem hanc expediri posse existimat, cum dicit, hic non proponi præceptum, sed duntaxat prædictionem, quâ innuatur, non quid fieri debeat, sed quid futurum sit: Sc. *prædicere Dominum, Apostolos oblitos donorum & legis Domini, gladio etiam rem gerere ausuros.* Hanc suam sententiam probare nititur, non solum ex eventu Matth. XXVI. 53. verum etiam exinde quod multa exemplaria habeant, non imperativum, ἀράτω, πωλούτω, ἀναγορεύτω, sed futurum ἀρεῖ, πωλήσῃ, ἀναγορεύσῃ (sicut & varii Codices hodiernum legunt, ceu ex Tomo Polyglott. Anglic. ultimo variantes N. T. Lectiones exhibente, constat.) Et si maximè (secund. Codices & Interpretes plerosque) imperativus retinendus esset in textu, frequentissimè tamen in Vaticanis imperativum per futurum explicandum esse: Quod ipsum declarat duobus exemplis Ps. CIX. v. 6. & v. 9. Verum neque hoc ipsò difficultas omnis sublata esse videtur, nec Basilius dubiis, quæ & in hac sententia moveri possunt, satisfecisse. Non enim verisimile discipulos id fecisse, quod secundum hanc explicationem Dominus prædicit eos facturos, venditâ sc. tunicâ gladios sibi emisse.

§. IV. Proinde simplicissima & scopo textus & intentioni Salvatoris maximè conveniens erit illorum explicatio, qui Verba Christi: *Sed nunc qui habet sacculum &c.* sic intelligunt; quod figuratè & parabolicè iisdem significetur, quietæ & commodæ illi vivendi rationi, quâ in Schola Christi hætenus usi fuerant Apostoli, mox successuram gravissimam persecutionem, & quidem hac nocte, mox adfuturos hostes cum gladiis & fustibus, adeò, ut si humanis præsidiiis quis niti vellet, & more usitato sibi suisque rebus consulere, non possit rectius agere, quam, si venditis omnibus, adeoque ipsa etiam tunicâ, gladium sibi comparet, quò violentiæ hostiû resistat.

Non

Non ergo suis Dominus jam vel victus vel defensionis curam
 comendare voluit, quam ante diligenter adeo docuerat Patri
 committendam; neque facultatem ipsis dedit vivendi quan-
 tisper jure & modo civili, hanc enim nunquam iis ademit;
 nedum spiritualia suppeditat arma, hoc enim alibi clariori-
 bus facit verbis; Sed figurato & parabolicò s. symbolicò ser-
 mone tantum, imminetia tum Sibi tum Apostolis mala vo-
 luit significare, quò ad ea fortiter ferenda sese prepararent,
 & intelligerent postea Dominum spontè adisse passionem,
 ut qui mala sibi imminetia præcognovit & prædixit. Hæc
 dicere voluisse Salvatorem Discipulis suis facilè patet. Initiò,
 usitatum est Scripturæ, non omnia propriis & simplicibus
 verbis prænunciare, sed figuratis & parabolicis verbis sæpis-
 simè uti. Sic, cum Apostoli jubentur *prædicare super tecta*,
 Luc. XII. 3. non vult Dominus eosdem relictis foris & triviis,
 tecta ascendere & ibi prædicare, sed sensus Domini est, ut in-
 trepidè & liberè prædicent, more eorum qui in tectis cla-
 mant, ut ab omnibus audiantur. *Ita & hic intellige*, inquit Chry-
 sost. Homil. supra citat. in verba, salutate Priscillam &c. *Nam
 sicut ibi audivimus tecta, ita & hic arma: Non igitur sentimus,
 quod talibus verbis jusserit haberi gladios, sed per gladios insinuarit
 imminere insidias & passurum se à Judæis.* Similiter solenne est
 in Prophetiis, ut in prædictione adversitatum imminentium,
 jubeantur talia fieri, quæ homines in ejusmodi adversitatibus
 facere consueverunt. Sic, cum Deus Jerem. IX. 17. jubet ad-
 vocari lamentatrices; non præcisè vult advocari tales mu-
 lieres quæ mercede conducuntur ad deploranda funera &
 præficæ dicebantur, multò minus simulatum ejusmodi plan-
 ctum probat; sed luctum instare docet, ad quem excitan-
 dum tales adhiberi solebant, & imminetiam tribulatio-
 nem per *ὑποτίπωση* quandam ob oculos ponit. Nimi-
 rum

rum, ut Prophetæ verbis suorum temporum, solent describere res futurorum seculorum, ita quoque moribus apud populum receptis, tanquàm signis & symbolis solent signatum & conjunctum exprimere. Hâc ratione Es. II. 4. spiritualis pax in Regno Messiaë futura describitur hoc modo: *Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces.* Ut ergo tempore pacis symbolicè dicuntur gladii in vomeres convertendi; ita tempore belli & persecutionis gladius etiam tunicaë venditione hic dicitur comparandus. Adhæc, Lightfoot in Horis Hebr. & Talmud. ad h. l. existimat, sermonem hunc Christi optimè convenire cum *κειμένη λέξις* ejus seculi, quam ex dicto quòdam, quod apud Maimonid: exstat, probat. *Vulgari, inquit, utitur dialecto, nam sic & Magistri in rebus aliis: Maimonides in Chanuchah. cap. 4. Qui non habet quod comedat, nisi ex eleëmofyna, mendicet או מוכר כתנתו aut vendat vestimentum suum, ut comparet sibi oleum & lucernas pro festo Enceniorum &c.* Deinde, Christum Discipulos suos de imminente periculò figuratâ hâc locutione monere voluisse, ex toto contextu & aliis sermonibus, eò tempore & locò habitis, constat. Undè non incongruè notat Lightfoot, Christum hic iterum contentionem Apostolorum inter se de Primatu redarguere voluisse, atque ostendere, gladiis potius ad communem hostem repellendum opus esse, quam rixis & contentionibus. Mutuatus est hanc interpretationem à Theophylacto, qui h. l. Dominum introducit hoc sensu loquentem: *Non est tempus ambitionis sed periculorum & cædium. Nam & ego Magister ad mortem adducor.* p. 255. Edit. Basil. A. 1554. Huic sensui quoque probè convenit subjuncta à Domino dictorum ratio: *Dico enim vobis, quoniam adhuc quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.* Q. D. præter reliqua Pro-
phe-

phetarum vaticinia, quæ in me impleri debent, illud adhuc superest, quod Es. LIII. 12. de me scriptum est, & *cum iniquis deputatus est*. Impletum verò hoc in Christo est, quando tanquam facinorosus, captus, vincus, flagellatus variisque contumeliis affectus est, sed maximè quando inter duos latrones medius in cruce pependit; tunc enim Marcus cap. XV. 28. hanc impletam fuisse Scripturam dicit. Sed & eandem sortem futurò tempore Discipuli experiri debebant Joh. XV. 20. Sic itaq; Christus, velut Apostolorum Dux & Imperator, ipsos tanquam milites, quos hætenus in privata palæstra exercuerat, in pugnam producere volens, ad arma quasi conclamat, & sub belli similitudine difficillimam pugnam instare monet.

§. V. Habemus in hac explicatione consentientes nobis Antiquorum Patrum nonnullos. Athanasius in *Dictis & Interpr. Parabol: Evang. Tom. II. Oper. Edit. Commel. p. 328. quæst. 33. quærit, quomodo hoc dictum Domini intelligendum sit? Et Resp: Hoc ideò dixit Dominus, ut Apostolis prodicionem sibi intentatam notam faceret & adventum Judæorum: Ergo illud nec omnino subticuit, ne à Judæis turmatim adventantibus terrerentur, nec etiam penitus illis indicavit omnia, ne tenerentur aliquo metu.* Augustinus, sive potius Autor *Quæstion. ex Utroque Testamento, quæ exstant Tom. IV. Oper. August. Edit. Basil. A. 1569 col. 794. quæst. CIV. hæc Verba Domini cum illis, quibus postea Petrum jubet gladium recondere in vaginam, conciliaturus, cum plurima hanc in rem dixisset, tandem ita concludit: Ubi tempus, quò se pati permisit, advenit, propter quod rixa magis quàm bellum imminebat, armatos jubet esse Discipulos, non ut repugnaret, qui pati volebat. sed, ut dixi, ut præscium hujus rei & in potestate sua habere passionem suam ostenderet, humiliaret autem se humane salutis causa.* Ad
idem

idem dubium eodem ferè modò respondet Hesychius Presbyter Hierosolym. in Collect. Quæstion. ex Eiusdem Evangelica Consonantia excerptarum, in Monum. Eccl. Græcæ Cotelerii Tom. III. pag. 32. Difficultate XL. *Gladios emere Dominus precipit Discipulis, non ut iis ad ultionem uterentur, sed τὸ πᾶσι τοῖς ἄγ. τῶν πῶν πῶν μὲν &c.* eò modò passioni fidem concilians, simulque Prophetiam illam implens, cum impiis computatus est; Nam nocte sacculos & gladios præ manibus habere latronum fuerit apparatus. Neque dissentit Chrysostomus: Licet enim prioribus verbis, *qui habet sacculum &c.* relaxari dicat à Domino mandatum de abdicatione sacculi & peræ in prima legatione Apostolis datum ob causas §. 2. indicatas; verba tamè de gladiò venditione tunicæ emendo, nullatenus eodem modò dicit intelligenda esse, sed hic ad nostrum accedit sensum: *Judeorum, inquit c. l., insidias indicare volebat, idq; manifestè & non per anigmata, nè iterum secum confunderentur. -- Non sentimus, quod talibus verbis jussit haberi gladios, sed quod per gladios insinuarit imminere insidias & passurum se à Judeis, quæ passus est. Atque hoc ex sequentibus manifestum est: Nam ut dixit, emendum gladium, mox adjecit: Quia oportet adimpleri ea quæ de me scripta sunt &c.* Idem sentit Homil. LXXXV. in Matth. Tom. I. Edit. Francof. p. 879. *Ut facilius, inquiens, crederent, quod traderetur, propterea dixit eis, emat gladium; non ut percutiant animas, sed ut prodicionem per hoc declararet.* Cum Chrysostomo facit Titus Bostrorum Episcopus in Exposit. Lucæ, quæ exstat Tom. XIII. Biblioth. M. PP. p. 850. qui, postquã Verba priora commatis hujus eodem quò ille accepisset sensu, ad verba, *& emat gladium,* sic scribit: *Per gladium, quem parare jubet, adversus se insidias & apparatus designat, seseque mox ab illis comprehensum iri, eodem illò symbolò indicat. Atque hoc quidem ille, ne nimium turbarentur, disertis*

ver-

17

verbis exprimere noluit: Interim per gladii anigma, malum quod impendebat, eaque à Judæis sese perpeffurum, quæ paulo post perpeffus est, insinuat, quemadmodum ex iis id perfacile colligi potest, quæ proximè subduntur; quoniam adhuc hoc quod scriptum est &c. Hisce jungimus Theophylactum in h. l. p. 255. Hoc dicit, inquit ille, *Salvator, non ut omninò gladiis sint accincti, sed significans bella & pericula & docens ut ad omnia parati sint.* - *Gladium emite, h. e. sic providete Vobis, tanquam hi, qui in bella & praelia multa incident.* Et aliter exposuerunt quidam: *Emite gladium, significat enim brevi tantas futuras insidias, quales nunquam fuerunt, & quod invasuri sint illos viri sanguinari.* Addimus Photium Episc. Constantinop. ex Sec. IX. qui in Catena Gr. PP. Nicetæ Tom. I. p. 562. scribit: *Quod gladii Symbolo suam suorumque discipulorum passionem insinuet ex sequentibus patet.* Nec non Euthymium apud Gerhard. in Harm. cap. 175. p. 1226. scribentem: *Quod sequitur, vendat tunicam suam & emat gladium, per emphasin dixit, solùm ostendens, esse tempus ultionis venientibus, quantum nunquam alias persecutionibus; non quod gladio vim propelli vellet, nam Petrum ita ulcisi volentem prohibuit.*

§. VI. Præmitenda hæc erant expositioni Verborum, quorum tractationem suscepimus, quoniam ex intelligentia illorum, horum verus sensus dependet, atque, quàm longè Apostoli ab intentione & sensu Domini aberraverint, patet. Nimirum, Apostoli præconceptam de terrenò Messia Regnò, erigendò in Israel, ad cuius obtentionem opus esset gladiis, opinionem jugiter animo volventes; ea quæ Christus figuratè de gladiis dixerat, in sensu proprio accipiebant, indeq; v. 38. inquit: *Ecce Domine duo gladii hic.* Discipulos hisce Verbis Dominum allocutos esse, dicitur in textu: Ambrosius tamen Com. in h. l. Petro hoc ipsum tribuit; quod

C

pro-

probabile redditur ex eo, quia ipse potissimum reliquorum nomine verba facit, atque postea *ἤρως* s. fervorem suum præ reliquis in percussione Malchi ostendit, Luc. XXII. 49. 50. Alloquuntur Salvatorem, quem Dominum vocant, *κύριε* ut habet Syrus, quò nomine ut plurimum Christum vocabant, Vid. Joh. XIII. 13. Possent autem hæc verba, *Ecce duo gladii hic, accipi, quasi iisdem de exiguo gladiatorum numero dolere & conqueri velint* h. s. Ecce tantum duo adsunt gladii & non plures, illi retundendis & trucidandis nostris hostibus vix ac ne vix quidem sufficient, sicut olim Andreas, Christo panes multitudini saturandæ requirenti, respondebat; *Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces; Sed hæc quid sunt inter tantos*, Joh. VI. 8. Rectius tamen Verba hæc habentur pro jactabundâ quâdam gloriatione vel gratulatione de possessione duorum gladiatorum, quasi hic sit verborum horum sensus: Non est, quod nos moneas ut sacculi, peræ & ipsius tunicæ venditione de gladiis nobis prospiciamus: En! duo jam præsto sunt, quibus hostilem violentiam à Te & nobis satis fortiter repellamus, si illi non sufficiunt ad resistendum periculo mox imminenti, plures comparabimus, non deerit nobis animus, nec gladius. Hanc enim fuisse Apostolorum mentem, vel ex eo patet, quod paulo post confidentiam Petri secuti, dicunt *se paratos esse cum Christo in mortem ire*, sive ad mortem usque cum illo pugnare Matth. XXVI. 35. Marc. XIV. 31. Sed hic nova sese exserit difficultas: Unde Apostoli, homines plebeji & piscatores habuerint duos istos gladios? Abeunt hic Interpretes in diversas partes. Grotius Comm. in h. l. Apostolos plerosque Galilæos fuisse dicit, hos verò, teste Josepho *μαχιμῶς ἐν ὑπῆρω* pugnaces ab unguiculis: Iter quoque ex Galilæa ad urbem infestum latrocinii arma requisivisse, ita ut etiam Esseni (qui aliis religiosiores

flores esse contendebant) armati inceserint latronum metu:
 Vel etiam ferarum causâ Apostolos, in Palæstina iter facien-
 tes, munivisse se gladiò, si non omnes, minimum tamen
 duos, quorum alter Petrus, qui mox gladiò suò utitur, fue-
 rit. Provocat verò in ultima sua ratione ad Cyrillum, Hic
 enim lib. XI. Comment. in Joh. Tom. IV. Oper. Edit. Paris.
 Anno 1638. p. 1018. *Probabile est, inquit, Sanctos Apostolos, cum*
intempesta nocte domo exiissent, ac sylvas ac hortos ingressuros
se putarent, sibi quoque à ferarum incursu cavisse, quorum ma-
gnam vim alebat Judæa. Mox ad objectionem, quæ moveri
 poterat; Quid gladiis opus haberent Discipuli, cum Christus
 feris abigendis utique par esset? respondet: Prorsus Christum
 omnia potuisse; interim tamen Discipulos nostrò more vivere
 solitos fuisse, & panes & loculos portasse, quibus aliàs apud
 Christum opus non erat; Et navigiò usos, qui volente Christo
 per undas incedere potuissent. Facultatem verò Discipulis
 fuisse uti gladio in anteced. ita probat: *Quod secundum Legem*
gladiò sese defendere licuerit. Quam infirmò tamen hæc nitantur
 talò, quilibet facilè videt. Quì enim probabile esse potest, Do-
 minum, qui omnem de affectatò Regnò terrenò suspicionem
 etiam ac speciem tum apud Judæos, tum etiam ipsos Apostolos
 vitabat, permisissè Discipulos suos gladiis cinctos incedere.
 Quì verisimile videri posset, in populosissima Judææ regione
 iter adeò à latronibus & feris insegurum fuisse, ut gladiis ad de-
 fensionem opus fuerit. Usus verò gladii privatis personis æquè
 fuit in Veteri ac in Novo Testamento prohibitus, ceu constat
 ex Rom. XII. 19. Alii ergò minimè gladios hosce fuisse di-
 cunt, sed *cultos.* Et Chrysoptom. quidem Homil. cit. in Matth.
 ad quæstionem hanc, unde habuerint discipuli gladios? prom-
 ptè respondet: *A cænâ & mensâ tunc jam exiverunt, ubi propter*
agnum gladios esse oportuit; Illi verò quoniam audiverunt, ven-

*turum adversus eos aliquos esse, quasi magistrum defensuri, secum
 gladios acceperunt.* Hunc sequuntur Theophyl. & Euthymius.
 Lyra verò, dicit Apostolos tanquàm piscatores in figendis re-
 tibus, formandis paxillis & perticis & aliis similibus *usos fuisse
 majoribus cultris*, atque probabile esse aliquos Apostolorum
 tales cultros secum retinuisse, ad scindend. cibaria, unde etiam
 cum illis agni Paschalis carnes conciderint. Sed, num & hi
 rem acu tetigerint, non sine causâ dubitatur. Quomodo enim
 defensionem Domini, quam animoolvebant Apostoli, cul-
 tris, etsi grandioribus, se præstare posse, præsumere poterant,
 contra tot viros gladiis & fustibus armatos, quos Sacerdoti-
 bus, hostibus Domini, præstò esse non ignorabant. Equidem,
 & in Sacrificiorum mactatione & præparatione cultri require-
 bantur, unde *מחלפים cultri*, inter vasa Templi reddita à Cyro
 numerantur, Ezræ I, 9. & in porticu Templi Hierosolymitani
 peculiare conclave recondendis cultris destinatum fuit, quod
בית החלפות לשכת in Middoth dicitur. Et in mactatione & co-
 mestione Agni Paschalis cultri utiq; requirebantur: Sed unde
 probatur, cultros hosce grandiores aptos fuisse ad pugnam, &
 quidem talem, qualem postea Petrus in amputatione auriculæ
 Malchi inibat. Deinde, etsi vox Hebræa *מאכלת* significet
 non solum cultrum, sed & latè gladium Gen. XXII. 6. 10. Jud.
 XIX. 29. à R. *אכל* comedere, devorare, & Hebr. *חרב* sec. Mosen
 Gerundensem & Autorem Ohel Moed. ap. Leigh Critica Sacra
 V. T. de omni instrumento scindente s. ferrum fuerit sive
 lapis durus, ut Jos. V. 2., dicatur; Græca tamen vox *μάχαιρα*
 non aliter in N. T. usurpatur quam de *gladio s. ense*: Atque exi-
 stimant aliqui vocem hanc græcam esse Hebraicum *מכר*
 quæ exstat Gen. XLIX. 5. Vid. Eduardi Leigh. Crit. S. Rad. *מכר*
 Simplicissimè ergo dicitur, quod Apostoli audientes de gladiis
 Christum loqui, in domo illa in quâ agnum paschalem come-
 derant

derant, fortè fortuna duas rubiginosas machæras, vel sub
scamnò aut aliò aliquò locò invenerint & Christo monstra-
rint: Unde etiam non dicunt, duos jamdùm comparavimus
gladios, sed, *ecce duo gladii hic*, i. e. in hâc domo. Ergò cum
Apostoli prius, ad omnem seditionis speciem avertendam, in-
ermes ambulaverint, jam verba Domini crassè accipientes,
armant se duobus gladiis, quos ab Hospite ædium vel emunt
vel commodatò accipiunt, quorum unum fortè Petrus, alte-
rum alius ex Apostolis lateri suo jungit. Extra dubium ta-
men non fuere gladii isti militares & ad pugnam aptati, sed
rustici & impoliti, ut adeò ipsorum ruditas & præsumptio va-
na magis elucescat, quod duobus gladiis obtusis & rubigi-
nosis militari hostium cohorti sese opponere ausi fuerint.
Sic Gerhardus Harm. Cap. CLXXV. p. 1230. In cujus sententia
acquiescimus.

§. VII. Apostoli hòc ipsò dum Domino gladios offerunt,
fatis ruditatem & imbecillitatem mentis suæ produnt; *Disci-
puli non intelligebant profunditatem dictorum, putantes ob futu-
rum proditoris insultum gladiis opus esse*, inquit Cyrillus in Cate-
na Græc. PP. supra cit. Nihilominus tamen, Dominus non se-
verè iisdè respondet vel eos increpat, ut olim Petrum Matth.
XVI. 23. & Discipulos Luc. XXIV. 25. Sed mansuetè & beni-
gnè iis reponit *inavévèστ*, *Sufficit*, satis est. Quidam Inter-
pretum hæc referunt ad præcedens nomen gladiatorum, q. d.
sufficiunt hi duo gladii, quibus favet Paraphrasis Syriaca, quæ
reddidit *ספיקים* *sufficientes sunt*, nec non Tremellius in Notis
exponens *ריכרם* *sufficientia est illis*. Ad hunc sensum alludit
Ambrosius loco supra cit., defensionem tempore V. T. con-
cessam à Domino restringi hisce verbis, dicens: *Sat est dicit,*
quasi licuerit usq; ad Evangelium, ut sit in Lege aequitatis eruditio,
in Evangelio bonitatis perfectio. Beda quoque loco §. 2. cit. suæ

explicationi eundem accommodat, q. d. Dominus: *Duo gladii
sufficiunt ad testimoniū spontaneæ meæ passionis, eò quod unus, Apo-
stolis audaciam pro Domino certandi & Domino virtutem medicandi
doceret inesse, alter, qui nequaquam vaginâ exemptus est, osten-
deret eos nec totum quod potuerunt pro ejus defensione facere per-
missos, Ambrosius supra cit. aliò sensu de gladiò Vet. & Novi
Testamenti, ita exponit: Satis est, quasi nihil desit ei, quem utriusq;
Testamenti doctrina munierit. Præter id tamen, quod mysticæ
hæ interpretationes intentioni Domini non satisfaciant, ut su-
pra ostendimus, vim quoque inferunt literæ textus. Non
enim dicitur *ἰκανοὶ εἶσι*, *sufficiunt*, sc. gladii duo, sed *ἰκανόν ἐστι*,
sufficit, satis est. Sed & hic non satis convenit inter Interpre-
tes, quò sensu hoc à Domino dictum sit. Quidam enim per
ironiam hoc dictum esse volunt q. d. Dominus; Egregia verò
armatura? Duobus ne gladiis catervæ militum, eorundem
violentiam repressuri, obviam ibitis? Magnam hisce gladiis
inter hostes dabitis stragem? Scilicet. Sic Chrysostronus l. c.
Sic Cyrillus in Catena Græc. P. P. *Satis est*, inquit, *tantum non
deridens responsum, quia sciebat Discipulos vim dictorum minimè
intelligere.* Et sanè ejusmodi ironicæ locutiones non sunt in
SS. inusitatae, sed sæpius occurrunt in locutionibus sanctorum,
ipsius Dei & Christi. Vid. Glassium lib. V. Philolog. S. Tract. I.
cap. 5. Hic tamen locum ironia non habet, cum hoc Christi
responsum non respiciat antecedentia, sed absolutè positum
sit. Rectius ergò alii statuunt, Christum verbis hisce *ἰκανόν ἐστι*
sermonem, quem videbat Discipulos non capere, abrumpere
voluisse, atque sic Discipulorum audaciam modestè refre-
nare: Sicut & nos in vulgari sermone vel ob evitandas rixas,
vel quod videmus non intelligi sermonem nostrum, abrum-
pere solemus orationis filum, dicentes, *Satis est, Benè se habet,
transeant ista &c.* Heinsius in Aristarcho (uti cit. in Synopsi
Critic.*

Critic. Angl. Tom. IV. in h. l.) notat hanc phrasin respondere
 Hebr. כר לך, quod graeci modò reddant, ἐχέτω ὑμῖν, modò
 ἰκανόσθω, aut ἰκανόν ἐστω, modò ἀρκείτω, modò πολὺ ὑμῖν, modò
 περισσείσθω, ut Exod. XIX. 28. addens: *Est itaque imponentis silen-*
tium h. l. (nota) & abitum parantis, simulque ruditatem eorum
aversantis. Favet huic sensui Theophylactus: *Dominus noluit, di-*
cens, eos redarguere utpote nihil intelligentes, sed dixit satis est ac
processit. Photius l. c. *Satis est, inquit, ad illa videlicet quae hisce*
symbolis insinuantur, significanda atq; ad scopum propositum. Ti-
 tus verò Bostrensis, *Cum Apostoli, inquit, quò tenderet non intel-*
ligerent, dixit eis, Satis est. Atqui si humano presidio uti illos vo-
 luisset, neq; si centum gladii in parato fuissent, satis erat. Quod
 si verò illò defensionis adminiculò eos uti non voluit, duo quoque
 supervacanei erant. Attamen secretum hoc illis non aperuit, sicut
 nec alia complura. Persæpe enim, dum Apostoli obscurum aliquod
 illius dictum non assequuntur, præterit illud, sinitq; ut dictorum no-
 titiam è rerum, quæ postea consecuta sunt, eventu hauriant: Sicuti
 quando dicebat, *solvite templum hoc & in triduo &c.* Tantum
 verò abest, propterea Dominum verborum suorum sensum
 non clarius dedisse, ut Petrus occasionem inde acciperet gla-
 dio ferendi Malchum, ipsi verò daretur occasio sanandi eun-
 dem, quæ quorundam est sententia teste Gerharo l. c. Ut po-
 tius reprehensione gravi in Petro ostenderit, gladium non
 secundum sed contra suam voluntatem stringi. Neq; Domi-
 nus vult fieri mala ut ipse habeat occasionem faciendi bona,
 licet ex malis per divinam suam potentiam & sapientiam pos-
 sit facere bona. Vid. August. lib. XXII. de C. D. cap. 1. *Ne ta-*
men turbetur quisquam, verba sunt Chrysof. Homil LXVI. in
Matth. XX. Tom. I. Oper. Ed. Novæ Francof. p. 704. si ad eò im-
perfectos dicimus Apostolos fuisse. Nondum enim mysterium crucis
erat consummatum, nondum gratia spiritus in corda ipsorum in-
fusa.

fusa. Quare si studia Virtutis ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam spiritus fuerint, considera, & videbis omnem ab illis turbationem animi fuisse separatam. Hâc enim de causâ, eorum modò imperfectio revelatur, ut apertè percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerint.

§. VIII. Magna erat Apostolorum tum temporis cæcitas & ruditatis; quare non mirum eosdem figuratam hanc Domini de sua passione locutionem non intellexisse, qui nec clarissimas quidem Christi, de passione & morte sua prædictiones intelligebant. Luc. XVIII. 34. Intellexere autem postea, cum virtute ex altô instructi & à Sp. S. illuminati, testati sunt arma sua *non esse carnalia sed spiritualia*, II. Cor. c. X. 4. Longè major imò intolerabilis planè est illorum imperitia vel potius malitia, qui in tam clarâ Evangelii luce, hanc Domini sententiam in tam perversum trahunt sensum, atque malunt Apostolos adhuc in cæcitate & perversis opinionibus hærentes, sequi, quam à Spiritu S. ductos in omnem Veritatem; eorundemque Successores veros, & purioris ævi Doctores, qui tale quid nunquam in hoc Evangelii loco viderunt. Pontificios intelligo, qui Verbis hætenus explicatis Monarchæ suo Pontifici R. duos gladios, corporalem & spirituales in manus tradi firmiter credunt. Ad hunc enim locum proculdubio respexit Adulator impudentissimus Balthasar Delrio, qui Leonem X. in Concilio Lateranensi (quod Pontificii Oecumenicum esse volunt, & cujus Acta unâ cum blasphemis ferè orationibus in eò, imprimis ab Ant. Puccio habitis, jussu Leonis X. edita, ejusdemq; autoritate comprobata exstant Tom. XXXIV. Concil. F.d. Paris.) Sess. VIII. sic alloquitur. *Ac ceu Leo Rex quadrupedum, Tu alter Leo Hominum, non alter Rex tantum, sed Rex Regum & Orbis terrarum Monarcha effectus. -- Accingere ergò gladio tuo super femur tuum potentissimè. Nam & tu duos gladios habes,*

habes, spiritualem & temporalem. Magis apertè ad eundem provocat Greg. IX. epist. ad Archi-Episcop. Græcorum ap. Matth. Paris in Henrico III. *Utrumq;*, scribens, *gladium ad Romanum Pontificem pertinere ex Evangelica lectione, tenemus.* Omnium verò maximè sibi de hóc locò gratulatur Bonifacius VIII. in Extrav. unam sanctam de majoritate & obedientia, inter alia argumenta, certè futilia, quæ non fidem sed risum merentur, & ex loco nostro sic concludens: *In hac ejus sc. Rom. Pontificis, potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem Evangelicis dictis instituimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce duo gladii hic, in Ecclesia sc. Cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis &c.* Meritò constitutio hæc intra Extravagantes refertur, quia extra omnes Veritatis & modestiæ limites vagatur. Nihilominus tamen quod hæc constitutione sancivit, illud etiam ipsò opere complere conatus est. Cum enim in primo Jubilæo A. 1300. ab ipsò institutò & celebratò, Albertus Imperator per Legatos, sui confirmationem peteret, primò istius solennitatis die in Pontificalibus prodiens, benedictionem populo impertitus est; Posterò autem die habitu Imperatoris & infula Cæsarea insignis, gladium nudatum sibi præferri jussit, & ubi consedisset altà voce clamavit. *Ecce duo gladii hic.* Refert hoc Albertus Cranzius in Saxonia c. 36. & obstupescens exclamat: *Vide ô Petre successorem tuum, & Tu salutifer Christe, tuum cerne Vicarium! Vide quò ascenderit superbia servi servorum tuorum!* Vid. quoque Paraleipom. Rerum Memorab. annexa Chron. Urspergensis. p. m. 26. Exinde Papam non solum plenissimam in rebus sacris potestatem habere, condendi articulos fidei, sacramenta, morum præcepta; dispensandi in jure divino, irrita faciendi vota ac juramenta, majorem esse conciliis etiam Oecumenicis; imò in Papa tanquam capite omnia jura Ecclesiæ eminenter radicari, contendunt

D

Pon-

Pontificii: Sed etiam in Civilibus volunt illi competere, jus deponendi Principes, Reges, Cæsares ac mundi regna distribuendi quibusque voluerit, & subditos à juramento fidelitatis absolvendi: Quorum pleraque Dictatibus Gregorii VII. improbè sunt sancita. Hâc potestate quoque vice plus simplici usi sunt Pontifices. Exemplum hujus habemus in Henrico IV. quem Papa Gregor. VII. excommunicavit, sub hoc obtentu, ut Primates Regni, quasi justâ ex causâ excommunicato Regi contradicant, ut memorat Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad A. MLXXVII. & postea repetitò anathemate, Rudolpho coronam misit cum hâc inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*, ut memorat idem ad Annum sequ. Nec non in Friderico I. Imperatore, cujus cervicem conculcavit Alexander III. Pontifex Venetiis super gradibus templi S. Marci, inspectante universo populo, additis his vocibus, *Super aspidem & Basiliscum &c.* sicut testantur Historici, imprimis Rerum Venetarum, & loquitur tabula illa, in quâ tota hæc historia depicta est Venetiis, in atrio scrutinii & magni consilii, quæ à tot mille hominibus visa est, & etiannum videtur. Quomodo Julius II. exercitum contra Ludovicum XII. Galliarum Regem educens, abjectis in Tiberim clavibus Petri, gladium Pauli strinxerit testantur Historici. Imò longum esset memorare ea omnia, quæ Pontifices contra Imperatores, Reges Gallia & Anglia, aliosque Principes, potestate hujus gladii subindè tentarunt.

§. IX. Quæ sit modernorum Papæ R. Parasitorum & Causidicorum hæc de re sententia, non melius quàm ex Bellarmino discere possumus. Recenset hic lib. V. de P. R. cap. 5. tres de potestate Papæ sententias: *Unam* Canonistarum; Summum Pontificem jure divino plenissimam habere potestatem in universum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum

in

in Politicis. *Alteram*, non tam sententiam quàm hæresin esse dicit, quæ statuit Pontificem ut Pontificem, & ex jure divino nullam habere temporalem potestatem, eamque tribuit Calvino, Brentio & Magdeburgensibus. *Tertiam* mediam, quam suam facit, & Theologorum Catholicorum communem sententiam dicit, Pontificem ut Pontificem, non habere directè & immediatè ullam temporalem potestatem, sed solùm spirituales; Tamen, ratione spiritualis habere saltem indirectè potestatem quandam, eamque summam in temporalibus. Interim, sub specie agendi cum Regibus clementius eis manifestè illudit, quandoquidem, *potestas illa indirecta tantundem habet virium ad deturbandos Reges & transferenda sceptrà, quam si directà vocaretur*, sicut benè monet Petrus Molineus libello de Monarch. temporali P.R. pro Defens. Jacobi Regis Angliæ cap. VI. quò & temperamenta alia, quæ hic affert Bellarminus explodit. Neque tamen fuit hæc Bellarmini sententia ad palatum Curia R. Siquidem parum abfuit, quin omnia ejus opera, ex hoc solo Pontificia censura aboleret, eò quod ambitioni Sixti V. qui se *supremam in omnes Reges & Principes universæ terræ, cunctosq; populos, gentes & nationes non humanâ sed divinâ institutione sibi traditam, potestatem obtinere*, in Bulla contra Henricum III. Franciæ Regem, affirmabat, non satisfaceret, ut testatur Guilelmus Barclajus J.C. in Gallia c. XIII. de Potestate Papæ in Principes Christianos p. m. 49. Fundamentũ verò hujus potestatis Pontifices modo laudati eorundemque Canonistæ & Theologi quarunt, ut dixi, in loco hoc Luca. Ipse Bellarminus, licet cit. loc. fateatur eundem à Canonistis s. primæ sententiæ autoribus frustra adduci, & absolutæ s. directæ Potestati Papæ in temporalia minimè quadrare. Theologorum tamen & suam sententiam de indirecta in illa potestate, hocce dicto utique confirmari posse ait, prout &

eundem c. VII. hujus libri adducit, & Bonifacii VIII. glossas in in h.l. comprobat. Hæc est itaque Pontificiorum de gladio s. temporali potestate (quæ illò designatur,) Papæ, sententia, cujus præsidium in locò Lucæ hætenus explicatò, quærunt. Equidem pudet quosdam etiam inter Pontificios insulsæ planè & ineptæ consequentiæ, quam inde nectunt Adulatores Papæ. Sic enim inter illos Didacus Stella Fnarr. in l.h. p. 476: *Multi, inquit, in hoc loco interpretantur istos duos gladios de spiritualibus Ecclesiæ gladiis, Ecclesiastico sc. & Seculari, & alii de Verbo Dei; sed quia hæc non sunt ad rem, ne immoremur in increpatione expositionis adeò huic loco dissonæ ac tortæ, transeamus ad ea, quæ in textu sequuntur.* Nimirum ex tota textus serie & explicatione ejus genuina audivimus Dominum, nihil minus quam temporalem Discipulis suis commendare gladium; sed imminētis saltem passionis gravitatem symbolicè describere, & tristitia quævis ac funesta prædicere. *Si verò gladius hic significat imperium papale, quid erit tunica, quid pera, quid crumena? Habent ergo quò se tueantur, qui Papatum emunt, siquidem jubetur emi hic gladius: Ita se hi homines suis pungunt aculeis,* inquit Molineus de Monarch. Temp. P.R. cap. VIII. p. 120. Audivimus PP. quosdam de gladio spirituali hoc dictum interpretari & quidem variè, sed potestatem temporalem Episcopis & Episcoporum Principi à Domino hic concessam nemo pristinis illis purioris Ecclesiæ seculis, ne per somnium quidem vidit.

§. X. Possent hæc sufficere ad retundendam falsam & contortam Dicti hujus explicationem: Quò verò eò magis pateat imbecillitas & absurditas *παρρησιας* Pontificiæ; Initiò ex textu sic contra eos argumentamur: *Quicumque verbis propriis & claris omnem potestatem politicam & omne Dominium seculare interdicit ministris suis, ille, in eodem*

dem sermonis contextu, verbis obscuris & parabolicis talem potestatem iisdem tribuere, dici non potest. Atqui Christus illud fecit. E. Ad confirmandam Majorem Propositionem faciunt duo canones in Interpretatione S. Scripturæ observandi, quorum prior est: *Theologia allegorica non est argumentativa.* Canonem hunc in Scholis Exegetarum tritissimum esse ostendit Glassius lib. II. Philolog. S. part. 1. Tract. II. Sect. V. can. 6. Quin ipse Bellarminus *ex solo sensu literali firma petenda esse argumenta* dicit lib. 3. de V. D. cap. 3. Alter hic est: *Dispiciendum est, num sensus mysticus vel parabolicus, quem è r. quòdam educimus, alibi in scripturis sit indicatus & fundetur. Alio alius loci vel sensu literali vel mystico s. parabolico tali, qui apertis verbis in SS. indicatur.* Quis enim inquit Augustinus, *impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscuriora*, ep. 48. de corrigendis hæreticis, p. 178. Tom. II. Oper. Edit. Basil. An. 1669. Quodsi ergò ex dictò parabolicò, nisi ex loco quodam alio clariori & manifestiori, qui simpliciter rem asserit, illustretur & comprobetur, non potest firmum duci argumentum; Quid dicendum de loco tali, qui in eòdem sermonis contextu & paulò ante contrarium clarissimis & rotundis verbis docet, illi, quod quidam ex parabolicis aut symbolicis quibusdam verbis ejusdem sermonis extorquere conantur. Minor verò sole meridiano clarior existit ex verbis v. 24. ejusdem Capitis Lucae XXII. quibus omnem potestatem & Dominatum temporalem ab Ecclesiasticis personis amandat. *Reges Gentium, inquit Salvator ad Discipulos de primatu inter se contententes, dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, Vos autem non sic &c.* Quì F. dici potest, Salvatore id, quod verbis propriis & claris Apostolis denegat, mox verbis ob-



scuris & parabolicis iisdem largitum esse. Quare rectè Bernhardus hanc Evangelii lucem in mediis papatus tenebris videns, *Planum est*, inquit, *Apostolis interdicitur dominatus: I ergo & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicum Dominatum. Plane ab alterutro prohiberis, aut, si utrumque similiter habere velis perdes utrumque: Alioquin non Te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus (Hof. VIII. 4.) Ipsi regnaverunt, sed non ex me, Principes exstiterunt, & non cognovi eos &c.* lib. 2. Confid. ad Eugenium Papam c. 6. Tom. IV. Oper. p. 6. Edit. Paris. An. 1645.

§. XI. Deinde tale Pontificiis opponimus argumentum: *Quemcunque gladium Petrus jubetur recondere in vaginam, illum non habent successores illius, vel, si habent, contra Christi voluntatem habent. Atqui gladium corporalem Petrus jubetur recondere in vaginam. E. illum successores Petri non habent, eoque contra voluntatem Christi utuntur.* Cum enim Discipuli Christum apprehensum à caterva militum defensuri, quærerent, *Domine percutiemus ne gladio?* Luc. XXII. 49. & Petrus, non expectatò responsò Domini, *Sinite usque huc*, educeret gladium & servum Pontificis percuteret, amputando auriculam ejus dextram; mox Christus factum hoc improbasse legitur verbis, *converte gladium tuum in locum suum*, ut habet Matth. XXVI. 52. *in vaginam*, sec. Johan. XVIII. II. Additâ severâ comminatione apud Matth. *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Videri posset Petrus rectè vim injustam vi repulisse, atque Dominum & Magistrum jure defendisse gladio; Interim quoniam illi, qui ad comprehendendam Dominum venerant, autoritate magistratus erant instructi: Sacerdotes summi enim partē gubernationis politicæ sustinebant Deut. XVII. 8. Chi-

Chiliarchum verò & cohortem militarem miserat Præses nomine Imperatoris Romani : Christus noluit gladium stringi à privatò, nedum Apostolò, contra Magistratum, ne quidem cum defendendus est Christus, sive religionis causa. Sic verba Domini intellexerunt Doctores Ecclesiæ, qui inde colligunt usum gladii planè non convenire Discipulis Christi. Origenes enim verba hæc Christi tractans: *Pacificos, inquit, vult esse Christus Discipulos suos, ut bellicum hunc gladium deponentes, alterum pacificum accipiant gladium, quem dicit Scriptura, gladium Spiritus. -- Sed & simpliciter audientes, quod dicit, qui accipiunt gladium gladio peribunt, cavere debemus ne occasione militiae aut vindictæ propriarum injuriarum eximamus gladium, aut ob aliquam occasionem, quam omnem Evangelica abominatur hæc Christi doctrina. Tract XXXV. in Matth. p. 214. Ed. Basil. An. 1557. Chrysostr. Homil. LXXXV. in Matth. Propterea Petrus gladio usus, comminatione & quidem vehementi reprehenditur. - Tu vero Discipuli quoque & amorem pium & humilitatem considera, alterum enim ex diligendi fervore, alterum ex obedientia fecerat. Nam, cum audiisset, mitte gladium in vaginam tuam, statim obtemperavit & nusquam postea istud facit - Petrum acriter & quidem minando increpat (Dnus), ut cæteros simul ab hujuscemodi defensione deterreat. Cyrillus, reprehens. hanc Petri explicans, Docemur, inquit, hoc facto, quoniam pietatis in Christum zelus inculpate procedat, quidve in ejusmodi discriminibus agendo nihil in Deum peccemus. Nec enim nos ferrum stringendo, aut in aliquos saxa jaciendo, aut ligno adversarios percutiendo, pietate in Christum certare nos rei exemplum sinit. Arma enim nostra non carnalia sunt. Lib. XI. Comm. in Joh. Tom. IV. Op. p. 1016. Hinc & aliqui eò sunt progressi, ut hisce verbis non solum Ministris verbi sed etiam fidelibus in genere omnem bellandi facultatem interdictam esse statuerent.*



rent. Quorum sententiam quidem non facimus nostram: Scimus enim fideles quoque in N. T. legitimis & justis bellis interesse posse, sicut prolixè docet Augustinus ex Scriptura testimoniis & exemplis lib. XXII. contra Faustum Manich. c. 74. & seqv. Tom. VI. Oper. atque innumeris exemplis ex Historia Sacra patet. Hoc tamen utique asserendum Clericis sive personis Ecclesiasticis hisce Domini verbis eripi gladium corporalem. Sic enim tot Canones statuunt: Can. VII. XXVI. LXXX. & LXXXII. vulgò sic dictorum Canonum Apostolicorum, qui habentur in Jure Canonico Distinct. 88. can. Episcopus, Can. VII. Concilii Chalcedonensis, à Gratiano Decreto insertus c. Eos. 20. qv. 3. Can. I. Concil. Ilerdensis ap. Gratianũ Dist. L. c. 36. Can. XLIV. Concil. Tolet. IV. ap. Grat. c. Clerici. 23. qv. 8. &c. Qui omnes, dum Episcopum vel alium Clericum militiae vacantem, ab officio sacro deponendum esse, decernunt, gladio eosdem interdunt & acclamant *Reconde in vaginam gladium tuum*. Non aliter Doctores Ecclesiae primævæ sentiunt. Ex quorum numero aliquos saltem adducimus. Initiò Tertullianum, qui, libro de Corona militis, strenuum quendam Christi militem simul etiam terrenum militem laudans, de illo ait: cap. I. *Gladium nec Dominicæ defensionis necessarium reddidit & c. II. Licebit in gladio conversari, Domino prænunciante gladio periturum, qui gladio fuerit usus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet*, p. 288. & 292. Edit. Paris. A. 1608. Cui jungimus Chrysostomum, qui Homil. IV. de Verbis Esaiæ Tom. III. p. 758. *Sacerdotis, inquit, tantum est arguere & audacter ac liberè admonere, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere, non jacula mittere*. Nec non Hieronymum Ep. 2. ad Nepotianum scribentem: *Obsecro itaq; Te & repetens iterum iterumq; monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes* p. 10. F. Tom. I. Edit.

33

Edit. Paris. An. 1643. - - *Turpe est ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo vesceretur alieno, lictores Consulium & milites excubare.* p. 12. F. Ex ultimis seculis addimus Anselmum qui in cap. XVI. Matth. p. 108. *Datur inquit, materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit Regibus, quod ad stolam pertinet, sic nec Episcopis qua Regis sunt exercere: Quod, quia Petrus, qui figuram rerum spiritualium gerebat, materialem gladium quodammodo exercuit, dum auriculam servi amputavit, à Domino increpari meruit.* Verum hic excipiunt adversæ partis patroni, dicentes, utique dedecere Sacerdotem propria manu vibrare gladium, licitè tamen eundem dirigere gladium in alterius manu, sicut & Bernhardus non vult, *Sacerdotis manu teneri gladium, sed militis manu, ad nutum tamen Sacerdotis; secus verò agentem ita compellat. Quid denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam.* Lib. IV. Confid. ad Eugen. Pap. Sed res eodem recidit: Quod enim quis per alium facit, hoc per se fecisse putandus est. Neque video quomodo hâc ratione Sacerdos, à Duce Belli differat, qui & ipse rarò stringit gladium adversus hostem, sed ejus saltem nutu miles. Canonistæ ulterius adhuc progrediuntur, atque volunt, Petro non fuisse ablatum gladium, sed tantummodo mandatum, ut reconditum teneret, donec exercendi veniret opportunitas: Idque hoc tempore compleri dicunt, quò successores Petri Romani Pontifices utrumque gladium gestant. Bonifacius in dicta Constit. Extrav. urget verbum *tuum*, q. d. qui in tua potestate est. *Qui in potestate Petri, inquit, temporalem gladium esse negat, male attendit verbum Domini proferentis. Convertite gladium tuum in vaginam &c.* Quivis videt pessimè in ejusmodi glossis perverti sententiam Domini. Gladius recondi jubetur, sed nuspiam iterum eximi.

E.

Ma-



Maneat ergo tamdiu reconditus, donec mandatum de eximendo illo proferant. Perpetua quoque Domini est comminatio; *Omnis qui acceperit gladium &c.* Petri dicitur gladius, quia Petrus eundem privato ausu & autoritate educebat, neque ei traditus fuerat ab iis quibus competebat, quare & audit; *Quicumque acceperit gladium*, i. e. cui nec Deus nec Leges gladium porrigunt, sed qui proprio arbitrio eum accipit, *gladio peribit* h. e. tanquam homicida à Magistratu, cui jus gladii competit, punietur.

§. XII. Porro ita contra eosdem concludimus: *Quicumque gladius in S. Scriptura Soli Magistratui Civili tribuitur, is derogatur Ecclesiasticis personis in universum omnibus & Pontifici. Atqui gladius corporalis Soli magistratui civili tribuitur. E.* Minor probatur ex Paulo, qui auctoritatem magistratus Civilis asserens, gladium ei tribuit, quem gerit respectu bonorum, ut eos defendat, respectu malorum, quò eos coerceat. *DEI minister est, inquit, tibi in bonum: Si autem malum feceris, time: Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Rom. XIII. 4. Hic vero gladius nusquam in Scripturis viris Ecclesiasticis tribuitur. *Ex quo apparet iudices mundi partem maximam Dei Legis implere: Omnia enim crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi iudices vult vindicari, & hoc Paulus sciens, rectè eum ministrum DEI nominat* inquit Origenes lib. IX. Comm. in Rom. XIII. Imò cum hic gladius ad *περάματα τῆς βίης* pertineat, quibus implicari militantem Deo (ut leg. Vulg.) non vult Apostolus 2. Tim. II, 4. Cum illa eidem interdiciuntur, & hic ei interdicitur. Sic locum hunc exponit Autor Commen. in Epist. Pauli apud Ambrosium, qui Hilarius Diac. R.
esse

35

esse creditur: *Ecclesiasticus idcirco se DEO probat, ut huic devotus officium impleat, quod sponndit, in DEI rebus sollicitus, à seculari negotio alienus. Non enim convenit unum duplicem habere professionem. Repetit ex eodem hæc verba Claud. Espensæus Com. in h. l. & subjungit. At nunc, quod post Augustinum quaritur Anshelmus, nunc, inquam, videmus secularium causarum discussionibus intendere ac de temporalibus judicare Episcopos. Quid dicturi boni Patres, &c.* At, excipit hic Bonifacius in Constit. sua: *Oportet tamen gladium sub gladio esse, & imperialem auctoritatem subjici spirituali potestati. Nam, cum dicat Apost: Non est potestas nisi à DEO; quæ autem sunt à DEO ordinatae sunt: Non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio & tanquam inferior reduceretur ad superiorem &c.* Sed hæc glossa ad stabiliendum politicum Episcoporum imperium in summos mundi Monarchas, maximè coacta est, nec Paulo unquam in mentem venit. Nam quando dicit, potestatem à Deo ordinatam esse, non intelligit subordinationem gladiorum, ita, ut gladius sit sub gladio, & si eam intenderet, in eodem genere manendum tamen esset, & dicendum, magistratum inferiorem esse sub superiori & summo, quem ordinem Petrus 1. Ep. II, 13. indigitat: Sed per ordinationem simpliciter intelligit constitutionem, quod sc. magistratus non ex se sit, sed Deum habeat autorem & ab eodem ordinatus seu constitutus sit. Scribit enim ad Romanos, qui non nisi politicum habebant magistratum, eumque Ethnicum adhuc, & vult eisdem omnem animam subjectam esse v. i., i. e. neminem vel sub prætextu religionis vel alius status eidem sese subtrahere. Ut ostenderet, quod omnibus ista præcipiantur & sacerdotibus & monachis, non secularibus tantum, statim initio hoc manifestum fecit, dicens: *Omnia anima potestatibus supereminentibus subdita sit: Etiam si sit Apostolus, etiam si Evangelista, etiam si*

Propheta, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio, inquit Chrysoftomus in h. l. Idem Petrus sine discrimine omnibus inculcat, 1. Ep. II. 13. Imò tantum abest, ut gladius corporalis sub spirituali sit, ut Magistratus Summus & Potestas Civilis Summa peccans & exorbitans extra limites Legum Divinarum & Humanarum, nullius gladio puniri possit, sed DEI Regis Regum & Domini Dominantium iudicio unicè committendus sit. Quare Tertullianus Apolog. cap. XXX. Nos pro salute Imperatorum, inquit, Deum invocamus aeternum, DEum verum, DEum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi prater cæteros malunt. Sciunt enim quis illis dederit imperium, sciunt, quæ homines, quis & animam. Sentiunt eum DEum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quò sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes DEos. Hoc sensu plerique P. P. interpretantur verba Davidis Psal. LI. Tibi soli peccavi, Autor Comm. in Psal. qui sub Arnobii nomine venit, Ambrosius in Apolog. Davidis c. 10. Cassiodorus in h. l. Non ergo gladius est sub gladio, sed unus est gladius, Potestati civili, quæ immediatè à DEO est, proprius. Potius, si dicendum esset gladium esse sub gladio, gladius spiritualis sub gladio corporali foret, siquidem Magistratui summo curâ Religionis competere exemplis piorum Regum Veteris & N. T. constat. In hoc Reges, sicut divinitus eis precipitur, DEo serviunt, in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam pertinent religionem inquit Augustinus lib. 3. contra Crescon. cap. 51. Atq; hinc Esa. XLIX. 23. Reges dicuntur מְנַחֵם nutritii, educatores, curatores Ecclesiæ. Equidem gladii spiritualis seu verbi divini tractatio non pertinet ad Magistratum, sed ad ministros verbi; neq; ille gladio corporali quenquam cogere potest

potest ad religionem: *Religionis enim non est cogere religionem, qua sponte suscipi debet non vi, sicut inquit Tertull. lib. ad Scapulam sub init. p. 639. Potest tamen & debet Magistratus dirigere istum gladium spiritualem, quò eò bene utantur Verbi præcones, non ad nocendum vel vulnerandum, sed ad sanandum, ut semper in sua Regione verus DEI cultus conservetur & collapsus restauretur. Cognoscant Principes seculi inquit Isidorus Hispal. in lib. Sent. c. 51. Deo se debere rationem reddere propter Ecclesiam quam à Christo tuendam susceperunt. Nam si augeatur pax & disciplina Ecclesie per fideles Principes, sive solvatur, ille ab iis rationem exigit, qui eorum potestati Ecclesiam suam concredidit.*

§. XIII. Succedat jam tale argumentum: *Quibuscunq; nonnisi gladius spiritualis, sive potestas merè spiritualis concessa est, illi gladium corporalem s. potestatem temporalem vel politicam habere non possunt. Atqui verum est prius de ministris verbi E. & posterius. Potestatem autem Episcoporum & Præsulorum Ecclesie merè spirituales esse & ad temporalia nullatenus extendi, probatur initiò exemplo Christi Capitis Ecclesie, qui non solum verbis Luc. XII. 14. Johan. VIII. 11. sed & factis Johan. VI. 15. Matth. XVII. & XXII. docuit, se minimè venisse ut rerum politicarum curam in se susciperet: Imò coram Pilato profitetur: *Regnum suum non esse de hoc mundo, Joh. XVIII. 36. Quæ verba considerans Augustinus Trah. XV. in Joh. Tom. X. Oper. Ed. Basil. exclamat: Audite Judei & Gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo. -- Venite ad Regnum quod non est de hoc mundo, venite credendo, nolite servire metuendo. Si ergo Regnum Christi non est de hoc mundo, neque Regnum Episcoporum**

aut Papæ erit de hoc mundo: Aut, si Papæ regnum est de hoc mundo, illud Regnum non est Christi sed Antichristi; neque Corona triplex Pontificis, quam Regnum vocant, erit corona Vicarii Christi, sed nescio cuius. *Si enim Sacerdotes Dei & Christi sumus, non invenio quem magis sequi quam Deum & Christum debeamus*, ait Cyprianus lib. 2. epist. 3. Regnum enim Gratia, quod Christus in Ecclesia per Ministros suos, juxta Eph. IV. 11. administrat, totum est spirituale. Quod patebit, si illa scriptura loca, in quibus mentio fit muneris vel potestatis à Christo Apostolis & eorum successoribus concredita, percurramus. Prima, eaque potissima potestas à Christo Apostolis concessa, est potestas annunciandi Evangelium per totum orbem, eosque qui crediderint, baptizandi Matth. & Marci Ultimo Cap. Quam quidem totam spirituales esse nemo ambigit. Secunda potestas quam Christus Petro pollicitus est Matth. XVI. cunctis vero Apostolis & in illorum persona Ecclesiae dedit Matth. XVIII. est potestas clavium s. *ligandi & solvendi* super terram. Hæc est potestas, quam nonnulli ad temporalia quoque extendi volunt, sed contra mentem Christi, quæ exponitur Joh. XX. per *remittere & retinere peccata* & contra PP. expositionem unanimem, qui, vincula illa non corpora sed animas attinere dicunt, ut Disp. nostra sup. h. l. docet. Tertia potestas, est potestas Eucharistiam consecrandi & dispensandi, quam actionem pariter merè spirituales esse nemo dubitat. Quarta potestas delinquentium poenam respicit, Matth. XVIII. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Quibus verbis intelligimus nullam aliam poenam ab Ecclesia infligi posse in noxios, quam ut ab eius consortio removeantur, nec amplius in Christianorum numero habeantur; alludendo ad consuetudinem Judæorum, qui nullum cum Ethnicis & Publicanis consortium habere vole-

volebant. Denique postrema potestas Ecclesiæ, est potestas condendarum legum, quæ ad *ἑκκλησιαστικὴν* & disciplinam Ecclesiasticam pertinent; Sed hæc leges tantum bonum societatis Ecclesiasticæ respiciunt, non bonum publicum Reipublicæ, atque non nisi consentiente magistratu vel autoritate ejus, quique vim cogendi habet refractarios, feruntur. Agnovit hoc Ecclesia priorum & incorruptorum seculorum, nullam omnino sibi esse potestatem in temporalibus: Quæ, cum eos qui suis decretis adversabantur, in exilium ejici, vel alia ratione compesci, ne turbas cierent expetivit, Imperatores semper aut Magistratus civiles adiit, ut hæc poena legibus civilibus in eos sanciretur. Et quidem multis annis Ecclesia civili autoritate adversus hæreticos & rebelles minimè usa est, quia nullum sperabat ab Imperatoribus Ethnicis auxilium, nisi in causa Pauli Samosatani, quem ex Antiochena sede propter hæresin ab Aureliano Imperatore dejici petebat. Vid. Eusebius lib. III. H. F. cap. 30. Postquàm verò Christiani Imperatores fuerunt, ipsi Concilia Generalia convocarunt, iisdem præsederunt, post plenariam ab Episcopis & Clericis factam Causæ discussionem, finem Disputationibus imposuerunt, & tandem in hæresiarchos & schismaticos contranitentes Decretis Concilii, poenas statuerunt civiles. Sicut ex Historia Ecclesiastica imprimis IV. Conciliorum Generalium certissimum existit. Indicium spiritualis hujus potestatis Episcopis in Ecclesia concredita est Cathedra, quæ ipsis ad differentiam Throni Regii vel Tribunalis, in Antiquitate tribuitur, ad indicandum officium eorum in docendo potissimum versari. Facta fuit inauguratio eorundem ab Imperatoribus per traditionem annuli & pedi s. baculi pastoralis, quæ similiter de nulla alia, quam de spirituali eorundem potestate testabantur.

§. XIV. Tandem & hoc argumentum Pontificios convincere

cere poterit. *Quocunq; gladio Ecclesia per mille annos non
 est usa, & cum eo uti cœpit ultimis seculis, præcipuam &
 maximam Ecclesiæ partem contradicentem habuit, iste
 gladius non competit Ecclesiæ vel ejus Præsulibus. Sed
 gladio corporali Ecclesia per mille annos non est usa &c.F.*
 Opponimus hoc argumentum iis, qui existimant Christum
 Apostolis concessisse justum gladii usum, non in propria qui-
 dem persona, nec pro eò tempore, sed in persona totius Ec-
 clesiæ & pro futurò tempore, postquã ea jam plantata est, quia
 exordio Ecclesiæ nascentis armorum usus minime conveni-
 ret. Ita Sixtus Senensis, post Hugonem Carensensem cujus verba
 laudat, statuit Biblioth. S. lib. VI. annot. 156. Verum, an exer-
 cere posse putabimus Episcopos actum talem, quem prohi-
 biti fuerunt exercere Apostoli Episcoporum Antesignani? An
 Apostolis aliquid præceptum dicemus, sed cui parere ipsi
 non tenerentur, verum post eos demum qui successuri sint?
 Et quò argumentò probari potest Verba Christi ad Petrum,
Reconde gladium tuum in vaginam, non attinere successores
 Petri? Certe si alia verba ad Petrum dicta, ut, *Tibi dabo cla-
 ves &c. Pasce oves meas,* volunt pertinere ad Pontificem R. &
 ab hoc mandato eundem eximere non possunt; aut conce-
 dendum foret, non valere consequentiam à Petro ad Pontifi-
 cem. Magis præterea necessaria esse arma, & defensionem ma-
 gis parandam esse tum, cum res exstruitur, quã postquam ex-
 structa est, patet ex Nehem. IV. 16. &c. Quod Ecclesia per mille
 annos non fuerit usa gladio, tam certum est quam quod cer-
 tissimum. Juvat rem hanc, quod ajunt, ab ovo repetere. Quis
 fuerit Ecclesiæ status tempore Apostolorum inter alios P. ex-
 ponit. I. Cor. IV. 9. seq. *Speſtaculum facti sumus mundo & ange-
 lis & hominibus &c.* Quis vero crederet animum fuisse talibus
 homi-

hominibus armis eum quoquam decertandi? Qui etiam profitebantur *arma militiae sua non esse carnalia, sed divinitus valida ad destructionem munitiorum*, II. Cor. X. 4. Insecutæ sunt mox Apostolorum tempora per tria secula sub Imperatoribus Ethnicis, in omnes eos, qui Christo nomen dederant gravissimæ persecutiones; in quibus omnium gentium arma in extirpandos Christianos convertebantur: Honoribus arcebantur, damnabantur ad metalla, iis afficiebantur tormentis, quibus crudeliora ne fingi quidem possunt: Nulla fame, nulla peste, nullo bello plus hominum uno tempore absumptum esse testantur Historici. Nec tamen quisquam tunc fuit, qui defensionem sibi ex armis paraverit, tantum abest, ut Clerici id ausi fuerint. *Non pugnamus in hostem* inquit Justinus Martyr in Apol. II. *Nesciunt pugnare, sed percussi & alteram præbent maxillam* dicit Irenæus de Christianis sui seculi lib. IV. cap. 67. *Nostri homines, ut DEI Sacerdotes, manus quidem puras servant, & orando potius quam belligerando decertant*, verba sunt Origenis ad fin. Operis adv. Celsum. Neq; verò id factum, quia deërant vires, ut vult Bellarminus; Erat enim tunc temporis maxima Orbis pars Christianis repleta. *Externi sumus*, inquit Tertull. Apolog. c. 37. *& vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola vobis reliquimus templa* - *Cui bello non idonei, non prompti fuissimus, etiam copiis impares, si non apud istam disciplinam, magis occidi liceret quam occidere?* Cum magistro suo facit Cyprianus tract. ad Demetrianum scribens: *Nemo nostrum quando apprehenditur reluctatur, nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimis & copiosus noster sit populus, ulciscitur.* Sec. IV. Deus misertus Ecclesiæ dedit eidem Imperatores Christianos & Bonos, Constantinum M. Gratianum, F Valen-



Valentinianos, Theodosios; Sed non legimus Pontifices vel Episcopos tum renovasse jus suum hæcenus intermortuum, quod tamen tum maximè opportunum fuisset, eosdem monere de potestate sibi à Christo concessa; Neque habuissent Imperatores & Principes clementes & pios contranitentes. Sed potius contrarium hic invenimus, atque Præsules Ecclesiæ hic Imperatoribus etiam in iis, quæ Ecclesiam attingebant, obsequentes fuisse. De Summa verò illa potestate Papæ in temporalia, aut de Regnorum translatione altum in historia hujus Seculi est silentium. Non legimus Liberium Episcop. R. in Constantium Arianis addictum Excommunicationis fulmen vibrasse, aut Imperium ejus in alium transtulisse, sed potius jubente Eodem in exilium concessisse, teste Theodor. lib. II. H. F. c. 16. Habebat Athanasius à partibus suis populum Alexandrinum potentem, qui Doctorem & Episcopum suum contra injustam Imperatoris vim defendere potuisset, sed ipse nolebat seditionis contra Imperatorem autor esse, & æquo animo tot exilia sustulit; Et Gregorio, qui militari manu Episcopatum suum invaserat, acclamat: *Quid negotii Episcopis cum bello?* Epist. ad solit. vitam agentes. Non aliter se Ambrosius Mediolanensis Præsul, contra hostes suos defendit, quam precibus. Sic enim describit militiam suam in Orat. contra Auxent. quæ est inter Epist. lib. V. *Dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere.* Vid. Rufinus lib. II. cap. 26. Sozom. lib. VII. c. 13. Non prætereundum hic exemplum Martini Episcopi Turonensis, cujus vitam describit Sulpitius Severus. Fuerat hic primis juventutis annis militiam sectatus, postea verò monachatum suscipiens, donativum Cæsaris quod militibus erogari

gari solebat, his recusabat verbis ap. Sulp. c. 4.: *O Caesar, militavi tibi, nunc patere ut militem DEO, donativum tuum pugnaturus accipiat. Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet.* Seculo V. vivebat Cyrillus Alexandrinus, vir acumine ingenii, eruditionis varietate, docendi facilitate præstantissimus & in refutanda hæresi Nestoriana fortissimus; Sed, quia rebus secularibus se immiscebat, & hominibus quibusdam seditiosis familiaris erat, hinc non Cyrillo tantum sed & Ecclesiæ Alexandrinæ non exiguam infamiæ notam aspersam esse testatur Socrates lib. VII. c. 14. 15. *Quia, ut ipse ait, qui religionem Christianam profitentur, à cæde, pugnis & id genus aliis, omnino alieni esse debent.* Et forte tumultus à Cyrillo ejusque Antecessore Theophilo excitati, canoni Concilii Chalcedonensis VII. quò Clericis militia interdicitur, ansam præbuerunt. Eodem Seculo, cum Hilarius Arelatensis Episcopus, vir alias pius & eruditus, Episcopos quosdam ordinasset invitis ac contradicentibus Ecclesiis, iidemque postea manu militari cathedras occupassent, Valentinianus III. Imperator in Constitutione, quæ hodie sub Tit. 24. legitur inter Novellas Codici Theodosiano adjunctas, factum hoc improbat *maximumque crimen vocat.* Sec. VI. Concil. Ilerdense can. 1. prohibet universam Clericorum militiam, etiam eam quæ obsidionis tempore & pro defensione suscipitur. Seculi VII. disciplina cognoscitur non solum ex canone Concilii Toletani IV. supra §. XI. citato, sed etiam ex ipsius Gregorii M. confessione, qui lib. VI. epist. 1. ad Sabin. scribit: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Ducem haberet: Sed quia DEum timeo in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Sec. VIII. Zacharias Pontifex R. variis epistolis, quæ leguntur in Tomis Conciliorum & ex iisdem citantur à Zieglero Tract. Episcopus Miles cap. VIII. in-

dignos ministerio sacro existimat eos, qui bella gerunt & armis tractandis manus suas applicant. Et cum ipse in angustiis maximis versaretur propter Longobardos, non aliis tamen armis quam sacerdotalibus precibus & humilitate se defendit, sicut de eo testatur Anastasius Biblioth. nec Baronius ad A. 742. n. 36. diffiteri potuit. Quanam facies rerum fuerit Sec. IX. seu tempore Caroli M. & ejus Successorum, & quibusnam canonibus Conciliorum & constitutionibus Imperatorum, jam tum in dies crescente ambitione & potentia Romanæ sedis, hic gladius è vagina, ut ita loqui liceat, promiscans, repressus fuerit, vid. Zieglerus lib. laudato: Addimus saltem verba Concilii Triburiensis: An. 995. habiti ex cap. 27. *Semel in Clero deputati nec ad militiam, nec ad aliquam veniant dignitatem mundanam, uti in Synodo Chalcedonensi statutum est, ne tales sint, sicut & S. Isidorus dixit esse, similes hypocentauris, qui nec equi, nec homines, sed quasi bruta animalia libertate ac desiderio suo feruntur.* Sec. X. tam corruptum fuit atque impium, ut ipsi Pontificii Scriptores horreant monstra & apostaticos homines in ipsa Romana sede, quare non mirum, Episcopos R. ejusdem seculi & alios Clericos plus sago quam toga claros exstitisse. Sec. XI. & sequentibus liberius gladium hunc evaginare atque stringere ausi sunt Pontifices & Episcopi, & qui paulo ante à Principibus Christianis opibus & principatum possessionibus ditati fuerat, mox iisdem contra ipsos Principes & Imperatorem abuti cœperunt, & vel in ipsos imperium sibi arrogarunt. Sic ergo, si testimonio & exemplo antiquitatis standum, gladius corporalis planè non convenit personis Ecclesiasticis, vel fatente ipso Bellarmino: Qui à Wilhelmo Barclajo provocatus ad iudicium antiquitatis cum non haberet, quò se tueretur, dicit non solum Veterem Ecclesiam, sed etiam Ecclesiam posterioris temporis

45

ris facultatem habere, explicandi & declarandi, constituendi etiam & jubendi, quæ ad fidem & mores pertinent. Quid verò jam opus est conquirere loca Scripturæ aut scrutari Patres aut Concilia vetera, si sufficit solam authoritatem Romanæ Ecclesiæ posterioris ævi obtrudere? Aut si ad tuendam Papæ authoritatem, nuperi authores & Papæ mancipia testes idonei sunt?

§. XV. Atque hinc Pontificis R. tum opinio tum actio quæ summum Imperium in Mundi Monarchas ultimis seculis sibi arrogabat, totum orbem novitate sua obstupescit. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inveni quenquam eorum ante hunc (Henricum IV. Imp. R.) à R. Pontifice excommunicatum, vel regno privatum, scribit Otto Frisingensis lib. VI. Chron. c. 35. excommunicationem & depositionem laudati Imperatoris à Gregorio VII. tentatam, enarrans. Hildebrandus Papa, qui autor est hujus novelli schismatis, primus levavit Sacerdotalem lanceam contra Diadema Regni. Quis Pontificum Romanorum suis unquam Decretis autorisavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti?* Scribit Sigebertus Abbas Gemblacensis Epist. pro Leodegariis. Sic & alii, qui vid. apud. El. du Pin Dissert. VII. §. ult. p. 476. Itaque non potuerunt non Imperatores, Reges, Principes & Respublicæ pro jure gladii summo & independenti, contra Papam & ei addictum Clerum invigilare & inauditam hactenus in Ecclesia doctrinam & praxin damnare. Exstant hanc in rem variæ & gravissimæ Imperatorum Romanorum Constitutiones suffragantibus Imperii Statibus factæ, nec non Regum Franciæ & Angliæ Rescripta, item Reipublicæ Venetæ Edicta. Neque defuerunt Summis Orbis Europæi Principibus, qui causam eorum strenuè contra Hieromonarchas egerunt, tum Theologi tum JConsulti, imo Academia, Curia, Con-

Concilia & integræ Ecclesiæ. Non patitur angustia hujus dissertationis, prolixius recensendis iis immorari, legi ea possunt apud Schardium in Syntagmate Tractatum de Imperiali Jurisdictione, Autoritate & Præeminentia, ac Potestate Ecclesiastica, Melch. Goldastum in Opere de Monarchia S. R. Imperii, Gerhardum in Conf. Catholica lib. II. Artic. III. cap. 9. p. m. 637. & seqq. Ne quid dicam de Principibus Protestantium, quorum sententia ex Artic. VII. abus. Aug. Confessionis constat, & Doctoribus nostratis Ecclesiæ, qui hunc Papæ Dominatum solide impugnarunt, & à Casp. Sagittario in Introd. in Notit. Script. Veter. & Recent. cap. 26. §. 3. p. 739. & seq. recensentur. Gravissimam tantum doctissimi & gravissimi corrupti Papatus censoris, Georgii Wicelii Ferdinandi R. Imp. Consilarii, admonitionem, quâ Articulum de potestate Ecclesiastica in libello, quem sub nomine Viæ Regiæ tempore Reformationis edidit, obsignat, subjicimus: *Adhortamur ideo per miserationes Dei, non precipimus, primum Pontificem ipsum Maximum, Episcopum Episcoporum, deinde Episcopos reliquos, præsertim per Germaniam nostram; Ut potestatem quam acceperunt à Domino, non ad destructionem sed ad adificationem Ecclesiæ, eò videlicet conferant, ac solum exerceant; Misso interim gladio in vaginam suam, & politicam politicis hominibus administrandam tradant.*



753962

ULB Halle 3
001 854 02X





Sb.

2

VD 12







34

36

DISPUTATIO THEOLOGICA
Qua
VERBA APOSTOLORUM ad CHRISTUM
DOMINE, ECCE
DUO GLADII HIC,
ET CHRISTI RESPONSUM
SUFFICIT.

Luca Cap. XXII. v. 38.

Explicantur & vindicantur

Contra Pontificios

TEMPORALEM PAPÆ POTESTATEM

Ex iisdem asserentes.

Et quam

DEO AUXILIANTE,

Autoritate & Consensu

Magnifici Domini Rectoris & Amplissimi Senatus,

IN ACADEMIA PATRIA,

PRO LOCO

PROFESSIONIS ORDINARIÆ QUARTÆ

IN FACULTATE THEOLOGICA,

Solenni ventilationi subjicit

BERNHARDUS von SANDEN, Jun.

D. & P.P.

RESPONDENTE

M. JOHANNE ERNESTO SEGERS,

IN AUDITORIO MAJORI.

Anno MDCXCIX d. 25. Junii, Horis ante & pomeridianis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.